

Verum in altero Can.: *Nullus Episcopus de Consecr.* dist. 1. cum poena suspensionis in dicta legatur sub hisce verbis: „a sacro corpore et sanguine D. N. J. Chr. sit suspensus“ major dissensio et inter DD., num ea ferendae seu latae potius sententiae poenam importent; priorem quippe opinionem sequuntur *Azor.* part. 1. lib. 10. cap. 32. quaest. 2., *Henriquez* lib. 9. sum. cap. 30. num. 5., *Filius.* tract. 17. n. 105., *Fernandez* part. 3. exam. Theol. mor. cap. 5. §. 5. n. 11., *Quart.* in rubr. Missal. part. 2. tit. 3. sect. 2. dub. 2. vers.: Tertia sententia, et *Lugo* lib. 5. de Sacram. cap. 10. quaest. 4. num. 56. Posteriorem vero sustinent *Diaz.* in pract. crim. canon. cap. 46. n. 1., *Bonac.* disput. 3. de censur. in part. quaest. 3. punct. 2., *Pax Jordan.* tom. 1. lucubr. lib. 4. tit. 1. n. 339., *Pasqualig.* de Sacrif. nov. leg. tract. 1. quaest. 190. n. 4. et seq. et alii ab eo allegati, *Thesaur.* de poen. Eccles. part. 2. verb.: Missa cap. 3. vers.: Hanc suspensionem.

Praeterea cum in eod. Can.: *Nullus Episcopus* absolute praecipiat sine ulla mentione verbi *Consecrationis*, quod *ingressus ad Missarum solemniam celebranda, nisi passio aliqua intervenit, nullo modo audeat data oratione, recedere*, fortius inde trahi argumentum vel post solum ingressum ad altare ac initium Missae positum, poena suspensionis incurri a Sacerdote, qui, nulla interveniente gravi corporis molestia, eam incompletam relinquit.

De momentoso discrimine, quod versatur inter Missam ad actum Consecrationis perductam et illam nondum eousque protractam, late tradunt plerique ex Doctoribus supracitatis: illud vero ad hodiernam quaestionem proprius accedit, quod Missa, quae ab uno Sacerdote propter aliquem casum relinquitur imperfecta, si id contingat

ante consecrationem, non debet ab alio suppleri, secus vero consecratione peracta, ut praescribitur in Rubricis Missalis de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus cap. 10. de *Defectibus in Ministerio ipso occurrentibus* n. 3., ibi: „Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur vel in synopen inciderit aut moriatur, praetermittitur Missa; si post consecrationem Sanguinis vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum.“ Hinc autem expendendum est, num inferri possit, quod, sicuti memoratus Canon loquitur de Sacerdote relinquire Missarum solemniam, ut ab alio suppleantur, ita poenae suspensionis in eodem Canone contentae subiaceat tantum Presbyter, a quo Missa relinquitur incompleta postquam eousque perducta est, ut ab alio suppleri debeat, quemadmodum sentire videtur *Dartis* oper. canen. in 3. part. Decretor. lit. A. pag. 444.

Ad materiae ornatum praestat referre Doctrinam s. Thom. 2. part. art. 6. ad 2., ubi ponens casum, quo Sacerdos, inchoata Missa, recordetur, se non esse jejunum, ita respondet: „Si Sacerdos post consecrationem inceptam recordetur, se aliquid comedissee vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium et sumere Sacramentum“, addens, idem dicendum esse, si Sacerdos ille meminerit, se peccatum aliquid comississe vel excommunicationi cuiusque subiacere: *Si vero* (sunt verba ejusdem sancti Doctoris) *ante Consecrationem alicujus praedictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis et excommunicationis, quod Missam inceptam deseret, nisi grave scandalum timeretur*, ex quibus fortasse desumi potest, s. Thomam in ea fuisse sententia, quod poena suspensionis non

incurratur a Sacerdote, qui Missam inchoatam relinquit ante consecrationem.

Casus praesenti prope similis fuit huic S. Congregationi die 16. Decbr. 1719, isque descriptus reperitur in lib. 69. Decret. pag. 604. per haec verba: „*Placentina.* Dum Sacerdos Carolus Lagurius die prima currentis anni 1719 festivitatis Circumcisionis D. N. J. Chr. aderat in altari majori parochialis Ecclesiae loci Rivergarii Missam celebraturus, post jam factam oblationem Hostiae recessit Clericus Missae inserviens ad effectum accipiendi urceolos vini et aquae, cumque post elapsam quadrantem horae reditum minime fecisset, idem Sacerdos irae percitus relicto imperfecto Sacrificio Missae ab altari recessit dicens: „lo adesso non posso piu dir Messa, non sono piu in stato, non voglio fare un Sacrilegio“, relictisque super altari calice, velo et corporali, ad Sacristiam se contulit, exutisque vestibus sacris ab Ecclesia recessit, non sine magno scandalo et admiratione populi, qui Missae interfuerat. Fabricato processu per Curiam episcopalem praetendit Fiscus, Sacerdotem Lagurium in suspensionem incurrisse ipso facto in vim dispositionis Can.: *Nullus Episcopus* 57. de *Consecr. dist. 1.* Cumque Sacerdos penitus ignorans de incursu in suspensionem Missam postmodum celebraverit, humiliter modo supplicat tum pro absolutione a suspensione tum pro dispensatione ab incurra irregularitate: „S. Congregatio, attenta relatione Episcopi Placentini, censuit, per Oratorem nullam fuisse incursum suspensionem, nec consequenter irregularitatem ac proinde committendum, prout praesentis Decreti tenore benigne commisit eidem Episcopo, ut, imposita Oratori praedicto aliqua salutari poenitentia, eum ad altaris Ministerium iterum admittat.“

Episcopus Juvenacensis, qui ratus est, Oratorem tum poena suspensionis tum vinculo irregularitatis innodatum esse, post relatam facti seriem superius expositam ita concludit: „Quia vero, EE. PP., licet ignorantia juris non excuset, tamen postquam rescivit Orator, se in Canonis poenam incidisse, in posterum se abstinit a celebranda Missa et amplius temere non celebravit et praefert cor contritum et humilitatum, puto, si ita videbitur EE. VV., praefatum Sacerdotem Ronca posse donari gratia absolutionis a suspensione contracta et dispensationis ab irregularitate, quam incurrit.

Omnibus itaque perpensis, dignentur EE. VV. sapientissime pronunciare:

An Sacerdos Joseph Ronca incurrit suspensionem et irregularitatem in casu?

S. C. C. resp.: Negative, et rescribendum Episcopo, ut imposita aliqua salutari poenitentia Oratorem denuo admittat ad altaris Ministerium.

Die 3. Decbr. 1735.

24) Ordinatus a Pontifice, an ab ipso Pontifice vel ex speciali ejus delegatione in Episcopum sit consecrandus?

Dilecto Filio Carolo electo Episcopo Justinopolitano.

Benedictus PP. XIV.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

In postremo secreto Consistorio per Nos habito die 20. proxime superioris mensis Septembris emeritam virtutem tuam prae oculis habentes, te in Justinopolitanum Episcopum proposuimus, cumque de eo Episcopatu provisum tibi fuerit, praemissis antea omnibus, quae a sacro Trid. Concilio sess. 24. cap. 1. de Reformat. et Constitutionibus apostolicis praescribuntur, electus ipse merito dici potes ac confirmatus;

communis quippe Doctorum sententia est, provisionem in Consistorio factam, habere vim electionis insimul et confirmationis. Ita post Glossam in cap. 1. verb.: Provisionem, de elect. in 6. docent *Ripa* in cap.: *Eam te*, n. 11. de Rescript.; *Fagnan.* in cap.: *Nullus* n. 9. et in cap.: *Nihil*, n. 29. de elect. *Barbosa* Jur. Eccles. Unio. lib. 1. c. g. n. 14. et a Nobis quoque advertitur in Nostro Tractatu de Synodo dioeclesana novissimae editionis lib. 2. cap. 5. n. 3.

§. 2. Quod itaque tibi adhuc reliquum, ipsa Consecratio est, quae juxta regulas a S. Trid. Conc. praescriptas sess. 23. cap. 2. de Ref. *intra trimestre, a die confirmationis tuae supputandum, est a te suscipienda*, cumque in collatis nobiscum sermonibus asserueris ostenderisque sacros diaconatus et presbyteratus Ordines fuisse tibi a Praedecessore Nostro munifico Benedicto XIII. collatos, quidem die 30. Septbr. 1728 in sacello s. Pii in palatio apostolico Vaticano, Presbyteratum autem 11. Junii 1729 intra Vaticanam Basilicam, effecit id, ut in examen disputationemque veniret, num successiva in Episcopum Consecratio a Nobis, praeterea nemine vel certe quidem ab alio ex Nostra ad id sibi delegata auctoritate confici debeat.

§. 3. Celebris est textus Innoc. III. Pontificis in cap.: *Cum in distribuendis, de temporibus Ordinationum*, quo Mutinensi Episcopo rescribit, quandoquidem commendatus ab ipso Clericus Romae Subdiaconatum susceperat, indulgere se Bononiensi Episcopo (tunc temporis Gerardo Ariosti, uti videre est apud Sigonium lib. 2. de Episcopis Bononiensibus, in vita ejusdem) facultatem ipsum promovendi ad Ordinem diaconatus: estque hic praecipuus textus, cui universa Canonistarum schola innixa docet, ordinatum a Papa non posse ad superiores Ordines promoveri praeterquam a Papa vel ab alio, cui

id muneris ipse delegarit. *Ordinatus a Papa sine licentia Papae ad superiores Ordines non promovetur*, sunt haec concepta verba epitomes textus. A colligendis hic veterum Canonistarum dictis in praecitatam Decretalem temperabimus, cum unicuique in eorum operibus evolvendis parumper versato perspectum sit, plerumque alterius dicta ab altero transscribi. Unius tantummodo alteriusque ex recentioribus verba afferamus. *Altaserra* est alter, in Commentariis ad citatum cap. *Cum in distribuendo*, ubi haec adnotat: *Semel ordinatus a Summo Pontifice non potest recipere superiores Ordines ab alio Antistite sine mandato ipsius Pontificis*. Alter est *Layman* in eundem textum, ubi ita scribit: *Est autem hoc speciale in Pontifice, et videtur accipiendum de omnibus Ordinibus, etiam prima tonsura, ut qui eam a Pontifice accepit, ab alio Episcopo sine licentia papali ordinari non possit*.

§. 4. Pater Christian. Lupus part. 4. in Canones Synodorum Generalium et Provincialium editionis Bruxelensis pag. 488., accuratius, de more, animadvertit, textum in cap.: *Cum in distribuendis de temporibus Ordinationis*, quum scriptus appareat de Clerico rom. Ecclesiae obsequiis addicto, uti ex his verbis colligitur: *Ecclesiae romanae Subdiaconus erat*; sibi quidem vindicare posse locum quoad eos, qui in eorum Ordinatione fuerant alicui urbis Ecclesiae adscripti; propterea quod prohiberentur ii, deserto illius servitio, ad aliam transire Ecclesiam accepturi ab ejusdem Episcopo superiores Ordines, quibus a romano Pontifice non fuerant in Urbe initiati. *Quisquis semel in hac Ecclesia (de romana Ecclesia loquitur s. Gregorius) Ordinem sacrum acceperit, de ea licentiam ulterius non habet*, ita plane in ep. 38. cap. 5. indict. 13. pag. 673.

tom. 2. Maurinae editionis. Verum eundem ait neque posse protendi neque debere ad alios, qui Romam adventantes pio quodam studio Subdiaconatum sibi conferri obtinebant a Pontifice, nec tamen a Pontifice servitio alicujus Ecclesiae Urbis adscribebantur, sed postquam fuerant sacro Ordine insigniti ad proprias abscedebant dioeceses, servitio alicujus Ecclesiae per suos Episcopos addicti, per modeste innuens idem Pater Lupus, quam necesse sit, aliis collectis monumentis demonstrare, initiatos *honoris causa* in Urbe per Pontificem aliquo sacro Ordine subindeque ad proprias regiones reversos, nequissime ad superiores Ordines, praeterquam a rom. Pontifice vel ab alio ad id per ipsum delegato promoveri. *Voces* (inquit Pater Christianus Lupus) *erat romanae Ecclesiae Subdiaconus*, evincunt, *illum fuisse romano cardini adscriptum*, etsi textus epigraphe latiorrem ipsis sensum attribuat. „Verum Capituli epigraphe facit sensum ampliore: *Ordinatus a Papa, sine licentia Papae ad superiores Ordines non promovetur*“, pergit idem Lupus.

§. 5. Non innuit Lupus monumenta, quibus evincitur, ipsos quoque ordinatos a Papa *honoris causa*, nulliusque Ecclesiae servitio in Urbe addictos, nequissime superiores Ordines, nisi ab uno Papa suscipere vel ab alio Episcopo pontificia ad id delegatione instructo; etsi profiteatur se sequi opinionem asserentem, Ordinum a Pontifice honoris causa, ab eodem tantummodo vel ab alio ex praeobtentata Pontificis facultate posse ad reliquos Ordines promoveri. Verum curabimus ipsi opportuna quaeque ad rem hanc investigare traditasque ab aliis rationes ad eam firmandam colligere.

§. 6. In dictato s. Gregorii VII. duo extant Canones, quorum alter est de-

cimus quartus hisce verbis constans: „Quod Papa de omni Ecclesia, quacumque voluerit, Clericum valeat ordinare“; decimus quintus est alter, qui haec habet: „Quod a Papa ordinatus, alii Ecclesiae praeesse potest, sed non militare; et quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.“ Horum textuum primus generalis est afficitque non minus Ordinationes Clericorum ex alienis dioecibus fieri solitas per Pontifices, ut illorum ministerio in Urbe uterentur, quam caeterorum etiam inaugurationes, qui *honoris causa* ordinati, subinde in proprias regiones discedebant. Alter vero de iis tantum loquitur, qui in Urbe ordinati per Pontificem Romanae Ecclesiae adscribebantur: et quamvis propositum ibi interdictum recipiendi superiores Ordines ab alio Episcopo videatur ad eos cohibitum, de quibus est sermo in Canone, ipsi tamen addemus, Nos primum allatorum Canonum protulisse ad innuendam tantummodo auctoritatem Romani Pontificis initiandi Ordinibus caeterorum Episcoporum subditos, non solum ut eorum ministerio et opera in Urbe utatur, sed etiam ad id solum, ut eos hujusmodi decoret honore, integra ipsis praeservata libertate ad suas redeundi dioeceses, haud tamen seposito consilio derivandi subinde ex aliis fontibus jus pontificium, ne, qui ab ipso Pontifice etiam honoris causa ordinatus fuerit, valeat a quocumque, praeterquam ab eo vel ab alio ex ejusdem delegatione, superioribus Ordinibus inaugurari.

§. 7. Duodecimo vertente saeculo, Mediolanensi praeerat Ecclesiae Archiepiscopus Philippus Lampugnani; cumque Mediolani plures existerent Clerici per Pontificem in Urbe ordinati, quos propterea nequibat ipse, non praeobtentata a Pontifice facultate,

ad superiores Ordines promovere, licet eorum opera indigeret Ecclesia, Innocentium III. Pontificem consuluit, quomodo se gerere ea in re deberet. Epistolae summa in Pontificio responso affertur: „Sicuti ex tenore tuarum literarum accepimus Mediolanensis Ecclesia tam in capite quam in membris, occasione Clericorum illorum, qui ab ipso Romano Pontifice Ordinem receperunt, adeo est ministrorum solatio destituta, ut paucos Clericos in eadem Ecclesia valeas invenire, quos ad Diaconatus et Presbyteratus possis officium promovere“, pergit Pontifex referens, petiisse Episcopum facultatem ordinandi praefatos concluditque, se eandem ipsi indulgere, modo ii, quos promovere constituit, idonei sint seque promoveri consentiant: „Verum quia fraternitas tua suppliciter a Nobis expetit, ut ipsius Ecclesiae necessitatem sollicitudine paterna pensantes, tibi deberemus licentiam indulgere, manus posse illis Ordinationis imponere, super hoc tuae fraternitati taliter duximus respondendum, quod ipsius Ecclesiae necessitate pensata, si aliqui fuerint de supradictis Clericis, qui ad hoc videantur idonei et spontanea voluntate per tuum ministerium voluerint ad Sacros Ordines promoveri, eos auctoritate Nostra tibi liceat ordinare.“ Innuens Innocentius, illis verbis: *spontanea voluntate*, privilegium, quo fruuntur Ordinati a Pontifice, ne inviti superiores Ordines suscipere adigantur; quo de privilegio late disserit Hallier de Sacris Ordinationibus part. 2. sect. 5. cap. 3. art. 9. §. 1. in fine, meminitque etiam Glossa in cap.: *Cum in distribuendis*, in verb.: *indultum*, de temporibus Ordinatum, ubi loquens de privilegiis competentibus Ordinato per Pontificem, inter caetera hoc quoque recenset: *non potest cogi ab Episcopo recipere*

Ordines: superiores nimirum, qui sibi non fuerant a Pontifice collati.

§. 8. Clerici, quos commemorat epistola, Mediolani debebant fuerantque Romae a Pontifice ordinati; fuerant ergo ordinati *honoris causa* nulloque Urbis Ecclesiae addicti. Et si hi nec ad superiores Ordines conscendere, nec eosdem poterant suscipere a Mediolanensi Archiepiscopo sine licentia Pontificis, a quo fuerant minoribus Ordinibus initiati; en Nobis plane casum Ordinatorum *honoris causa* a Summo Pontifice, qui ab uno Summo Pontifice vel alio ex pontificia facultate, poterant superiores Ordines recipere. Innocentii epistola est n. 22. lib. 1. tom. 1. Balutianae editionis estque etiam impressa in praeclearo opere posthumo de Archiepiscopis Mediolanensibus Sassi tom. 2. p. 264 et licet in Collectionem Decretalium Gregorii IX., qua utimur in scholis et foro, non sit relata, haud tamen propterea vim auctoritatemque amittit canonicae legis, uti colligitur ex Can. Romanorum id dist. 19. latiusque prosequuntur Cardinalis Turrecremata in Summa, de Ecclesia lib. 2. cap. 108, Fagnanus in cap.: *Statuimus* n. 42. de supplenda negligentia Praelatorum, Cardinalis de Aguirre in defensione Cathedrae s. Petri tract. 2. disput. 30. sect. 3. Neque enim Jurisprudencia canonica circumscribitur praefata decretalium compilatione, sed complectitur quoque epistolas Summorum Pontificum in ea non comprehensas aliasque plures Constitutiones Pontificas in eadem non relatas, totque praeterea fontes apprime perspectos omnibus, qui canonicam facultatem, qua decet diligentia, pertractant.

§. 9. Praeter Patrem Lupum iterato superius memoratum, in eam sententiam, quod ordinatus a Papa *honoris causa* non possit superiores Ordines suscipere praeter quam a Papa vel

ab alio Ep. de ejusdem licentia, consentiunt Hallier praecit. loco et Gonzalez in cap.: *Cum in distribuendis* n. 2. temp. Ordinatum, et reliqui passim. Et quamvis se referant tantummodo ad praecit. textum: *Cum in distribuendis*, nihilque meminerint de epist. 22. Pontificis Innocentii III., non tamen omittunt aliquid afferre, quod propositam sententiam firmare valeat; nimirum, juxta generalia praecepta non licere inferiori manus apponere iis, quae fuere Superioris manibus subjectae. Addunt praeterea, *si quo die Episcopus Sacrificium obtulit ad certum altare, non permittitur simplex Sacerdos ad illud, eodem die, sine ipsius Episcopi licentia celebrare*, uti noscitur ex Can. ult. de Consecrat. dist. 2., multo potiori jure abjudicandam Episcopo facultatem, sacram peragendi Ordinationem supra altare vivum, in quo Romanus Pontifex Ordinis Sacramentum contulit, expressa ab eo non praeobtentata licentia. Scimus inter auctores reperiri nonneminem, qui praefatum episcopale privilegium non agnoscit, asserens vel illud nunquam obtinuisse vel contraria consuetudine fuisse sublatum, uti videre est apud *Pasqualigum* de Sacrificio novae legis t. 2. quaest. 1236. Verum seposito, quod hi communi adversantur sententiae et in bene constitutis dioecibus episcopale privilegium religiose custoditur, ut omni Nos impedimento explicemus, *ne latum quidem unquam a proposita comparatione recedentes, dicimus super pontificia altaria intra patriarchales Urbis Basilicas existentia non posse quemquam celebrare Missam, nisi id ipsi fuerit a romano Pontifice per apostolicum Breve indultum*, uti noscitur ex libro sacrarum Caeremoniarum attributo Christophoro Marcello lib. 3. sect. 1. cap. 11. et uti etiam accurate animadvertitur a praedefuncto

Sacellano Nostro Domino Gregorio in sua Liturgia rom. Pontificis tom. 2. dissert. 1. cap. 1. n. 4., et per Nos quoque in ea, quam habuimus, allocatione, cum Ara major Liberianae Basilicae fuit consecrata, quae allocutio impressa legitur in appendice ad tom. 3. §. 3. Neque id tantum obtinet quoad altaria patriarchalium Urbis Basilicarum. Quapropter Nos praeculis habentes id, quod gessit Sixtus V. Pontifex, cum ad Philippum II. Hispaniarum regem dono mittens altaris mensam a se consecratam, super quam, in Sanctorum Album referens s. Didacum, Missae Sacrificium obtulerat, personas simul designavit, quibus indulgebat, ut ad idem altare Missam celebrarent; idem plane praestandum duximus tunc quum ad cl. mem. Joannem V. defunctum Lusitaniae regem misimus altare a Nobis consecratum in Ecclesia s. Antonii Lusitaniae Nationis in Urbe, ut videre est ex Nostris literis ad praefatum regem datis die 15. Januarii 1745 jam typis evulgatis*). Quod ipsum denique iterato praestitimus quoad altare Assisiensis Basilicae, papale et ipsum declaratum, sancivimus namque in Nostra Constitutione incipiente: *Fidelis Dominus*, data sub ann. 1754, inserenda tom. 4. Bullarii Nostri, qui nunc colligitur et imprimatur, ne cui liceat in ipso sacra peragere mysteria sine expresso indulto apostolico, subindeque eadem in Constitutione personas designavimus, quibus offerendi ad praefatum altare Sacrificii facultatem indulgebamus. Animadversum namque fuit, pro ea, quae est inter Assisium et Urbem distantia, fieri nullo modo posse, ut qui dignus haberi poterat celebrandi ex religioso quodam affectu ad praedictum altare, peculiare indultum obtineret.

*) Vd. t. I. p. 667.

§. 10. Constituto autem datoque, ut qui etiam *honoris causa* a romano Pontifice recepit inferiorem Ordinem, puta, diaconatum, non possit ab inferiore ad presbyteratus Ordinem promoveri, sed a rom. Pontifice vel alio, de illius tamen licentia, sit promovendus, investigandum expendendumque superest, num idem affirmari debeat de eo, qui ornatus Presbyter a Pontifice consecrandus est in Episcopum, nimirum, an consecratio in Episcopum sit a Pontifice vel alio per ipsum delegato peragenda, quod Inferiori id agere non liceat. Hic autem Nobis videris vehementer causa nostra commoveri, quasi ingressi simus immensum pelagus scholasticarum quaestionum: *an scilicet episcopatus sit Ordo a presbyteratu distinctus, num adaequate vel potius inadaequate distinctus, num character in episcopali consecratione impressus alius sit a characteri impresso in susceptione presbyteratus, vel potius sit ejusdem extensionis?* Eoque vehementius causa Nostra commoveri videris, perpendens animo, investigandum Nobis fore historicum factum, quod conferre plurimum poterit ad praefatas involutas quaestiones scholasticas elucidandas; estque illud: an fuerit unquam ad Summum Pontificatum vel ad Episcopatum canonice promotus, qui Presbyter non esset, sed simplex Diaconus, antea ipsi non collato presbyteratu, sed tantummodo eidem ministrata episcopali consecratione, ex ea persuasione, quod insit videlicet episcopali consecrationi eminenter, ut ajunt, collationem Ordinis presbyteralis, de qua quidem celebri controversia, Aeneas Parisiensis Episcopus in suo libro adversus objectiones Graecorum pag. 210. apud *Lucam de Acheri* tom. 7. Spicilegii p. 148. primus ad refellendam Graecorum objectionem, de qua inferius redibit sermo, in partem affirmantem

concessit, cui quoque adhaesere Pater *Mabill.* in suis commentariis ad Ordinem Roman. tom. 2. Musei Italici pag. 119., *Martene* de antiquis Ecclesiae ritibus lib. 1. cap. 8. art. 3. num. 10., *Pagi Breviario Romanorum Pontificum*, in vitam s. Sabiniani Pontificis, *Sandini* in notis ad vitam s. Leonis Magni; negantem vero viriliter tuentur *Morinus* de sacris Ordinationibus part. 3. exerc. 11. cap. 2., ubi haec scribit: *Nullum extat exemplum episcopatus non Presbytero collati.* Id ipsum asseritur a *Juenin* de Sacramento dissert. 8. de Sacramento Ordinis in communi, quaest. 8. cap. 4., cujus haec sunt verba: *Nulli unquam collatus fuit episcopatus Ordo, nisi qui presbyterali jam insignitus esset.* Haec quae ipsa sententia solide confirmatur ab erudito Sacerdote *Catalano*, vel nunc in humanis agente, in suis elegantibus commentariis ad Pontificale romanum tit. 13. de Consecratione Electi in Episcopum §. 7. n. 13. At Nos ea persuasione ducimur, posse quaestionem enodare atque dirimere, intactis omnino relictis scholasticis controversiis, ipsa etiam declinata provincia inquirendi in factum historicum, de quo, siquid deberemus, attingere assereremus, haud ita certum esse, quemadmodum non nemo sibi blanditur, Diaconos electos in Pontifices vel Episcopos non recepisse presbyteralem ordinem, antequam consecrarentur Episcopi, sed a Diaconatu ad Pontificatum vel Episcopatum, per solam episcop. consecrationem conscendisse.

§. 11. *Etenim* (liceat hic leviter attingere, nec plane in opportuna digressionem nonnihil immorari) *etsi commemorentur plures, qui simplices Diaconi, primis octo Ecclesiae saeculis, fuerunt in Summos Pontifices electi, atque iisdem saeculis multos etiam adinvenire sit Diaconos, qui Episcopi*

evasere, uti noscitur ex Diurno romanor. Pontificum edito ab *Holstenio*, quod opus censetur saeculi septimi, quod factum est ob gerendorum negotiorum participationem, quam sibi Diaconi ac praesertim Archidiaconi in Pontificatus vel Episcopatus administratione sumebant, quemadmodum perbelle advertit *Papebrochius* in Conatu in vitam s. Leonis, peragiturque *Garnerius* in suis notis ad citatum Diurnum rom. Pontificum cap. 3. tit. 3. neque in vitis Diaconorum, qui Pontifices facti sunt, mentio occurrat de collato ipsis presbyterali Ordine ante consecrationem Episcoporum, ex hoc tamen antecedenti nunquam inferri tuto poterit, non fuisse iisdem ante consecrationem episcopalem collatum Ordinem presbyteratus, imo vero locum habet praesumptio, commemoratis, priori veluti extremo, Diaconatu nimirum, necnon posteriori, scilicet Episcopatu, non fuisse neglecta intermedia ac proinde ipsam Presbyteratus collationem.

§. 12. *Advertunt quidem accurati eruditique oppositae sententiae propugnatores*, cum Photius caetera inter objecta in Ecclesiam latinam proposita, hoc quoque inseruisset, Episcopos assumi ex Diaconis, non collato ipsis antea Presbyteratu; post Photii objectionem, in electionibus Diaconorum in Pontifices, conspici perspicue expresseque adnotatum, fuisse ipsis, ante papalem consecrationem, collatum Ordinem presbyteratus. At ne id quidem satis, ut tuta fiat assumptio, reponi namque verosimilius potest. Photium tot inter falsas criminationes adversus latinam Ecclesiam excogitatas, eam quoque proposuisse, Diaconos nimirum inungi Episcopos, non collato ipsis antea presbyterali Ordine; criminationis causa nimirum exinde per ipsum derivata, quod videret, in actis electionis Diaconorum ad Sum. Pontificatum vel ad Episcopatum, nullam

fieri mentionem de collato Presbyteratu; ideoque ad ipsam quoque incursationis speciem removendam, existimatum fuisse peropportunum in historica narratione electionis Pontificum et Episcoporum, qui antea Diaconi erant, meminisse sacerdotalis Ordinis iisdem collati, quae quidem animadversiones ut minimum probabiles multum detrahunt jactatae certitudini, Diaconos quondam consuevisse in Pontifices Episcoposve, Ordine presbyterali non suscepto, consecrari.

§. 13. Sacro Tridentino Concilio sess. 22. cap. 2. de Reform. cavetur, ne eligi quisquam possit Episcopus, qui sex antea mensibus non fuerit sacro Ordine initiatus: „Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, iis non solum natalibus, aetate, moribus, vita ac aliis, quae a sacris Canonibus requiruntur, plene sit praeditus, verum etiam in sacro Ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus.“ Cumque ulterius non progrediatur Concilium, nec edicat, electum hujusmodi, antequam consecrationem recipiat episcopalem, ordinandum Diaconum et Presbyterum, quis unquam auserit asserere, ex Tridentini sanctione, Subdiaconum fieri posse Episcopum aut unquam Subdiaconos consecratos fuisse Episcopos, Diaconatu ac Ordine presbyterali non suscepto? Imo vero quisque consentiet, satis fuisse Concilio innuere, quo gradu esse deberet assumendus in Episcopum, nec censuisse, exprimentos tunc caeteros sacros Ordines, quibus erat ante episcopalem consecrationem initiandus.

§. 14. Ad haec, cum post plures annos a Tridentino Concilio obtinuerit stylus inserendi in Bulla data ad Subdiaconum electum in Episcopum, sequentia verba, antea praetermissa: „Tecum, ut Ecclesia N. praefici, illique praeesse ipsamque in spirituali-